







579. 8.20.  
12

1723, 10

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS,  
IO. PHILIPPUS  
**Streit** / I. V. D.

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS  
MOGUNTINI CONSILIARIUS  
REGIMINIS

L. B. S.

---

---

ERFORDIÆ,  
TYPIS GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

*de*  
*controversiis quibusdam circa pacta*






ENCOY TATIS JURIDICE  
DECARUS  
IO. PHILIPPUS  
[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

v  
f  
h  
i  
fi  
S  
P  
2  
d  
i  
n  
t  
b







**N**emo, qui vel obiter in jure versatus est, ire poterit inficias, materiam de pactis non minus utilitate quam difficultate plerisque aliis juris materiis præponderare. Utilitate quidem, quia passim se ingerit, ac per universum jus longè latèque

vagatur. Difficultate verò, quod integris tractatibus sub incudem sit revocata, & magni nominis JCrī de hâc materiâ seriò contendant; mutuisque sententiis in se se exardescant, ut ex pluribus eorum controversiis patet; ex quibus unam alteramque subjungo. Sic controvertitur, an jure canonico detur ex nudo pacto actio? Affirmant non pauci, quos inter *less. lib. 2. de j. & j. cap. 17. n. 23. Pirhing. lib. 1. jur. canon. tit. de pact. §. 5. n. 36. Struv. ad ff. Exercit. 6. th. 7. vallens. in paratit. jur. can. de pact. §. 2. n. 5.* conanturque sententiam suam persuadere tribus potissimum argumentis. Primum desumunt *ex cap. 1. X. de pactis.* ubi dicitur, *pacta custodiantur.* Argumentum secundum

*controversia prima*

X 2

dum



dum desumunt *ex cap. 3. d. 1.* ubi rescribit pontifex, studiosè agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur. Tertio dicunt: non impletio pacti involvit peccatum: ergo vult jus canonicum ut impleatur: ergo vult etiam remedium, quo impletio urgeri possit. At, quod pactum nudum ne quidem jure canonico pariat actionem propugnant: *Fachineus lib. 2. controvers. cap. 100.* & alii ab eodem allegati. Nullus enim, inquit, extat textus ex quo evidenter ostendi possit jus civile hoc in passu à canonico correctum esse, quando autem jure civili clarè aliquid decisum est, jure canonico verò subobscurè, stare debemus juri civili claro. *arg. cap. 1. X. de nov. oper. nunciat.* sed jure civili clarè decisum est, quod pactum nudum actionem non pariat, jure canonico verò subobscurè, ergo hoc in passu stare debemus juri civili claro. Nec obstat, ajunt, *d. cap. 1. de pact.* quia verum est pacta esse custodienda, intellige ex præscripto juris & legum. *ita Connan. comment. 5. c. 3. n. 6. ut refert. Schamb. in lect. publ. inst. de oblig. §. fin.* Porro non obstat *d. cap. 3. d. 1.* Studiosè enim aliud denotar, quàm simpliciter actionem instituere, ut potius de imploratione officii judicis; quàm de ordinariâ actione textus loquatur. *ita Schamb. d. §. fin.* vel, si quam vim habet textus iste, id saltem probat, ex pacto nudo & absoluto descendere obligationem justitiæ; non verò, nasci actionem in foro civili. Ad argumentum tertium respondent negando, ex pacto nudo descendere obligationem conscientiæ, adeoque falsum esse, dicunt, non impletionem ejus peccato esse obnoxiam. Deinde, ajunt, non hoc ipso, quod impletionem pacti velit



velit jus canonicum, vult etiam actionem; hæc enim gravibus incommodis est obnoxia, quia fundamentum subternit litibus; adeoque potuit jus canonicum prudenter velle impletionem pacti, quin tamen actionem veller. Insuper controversitur, an ex pacto contractui in continenti adjecto nova, eaque præscriptis verbis actio descendat, num verò eadem, quæ ex principali contractu, cui fuit adjectum, aliàs competit? prima sententia docet, ex hujusmodi pacto descendere actionem præscriptis verbis, idque probat ex *L. in bona fidei 13. cod. de pact.* ibi, *ita demum ex pacto actio competit, si in continenti fiat*, cum autem certum nomen non habeat, præscriptis verbis merito appellatur. *ita Fachin. controvers. lib. 2. cap. 98.* & alii, qui dicunt communem hanc esse Doctorum sententiam. Secunda tenet, quod illa ipsa actio, quæ aliàs ex contractu principali datur, & non actio præscriptis verbis, ex hujusmodi pacto descendat; pacta enim formare actionem, id est, certam formam dare actioni contractus, non novam parere, constat ex *L. 7. §. 5. ff. de pact.* *Perez in tit. Cod. de pact. n. 27.* neque cum ea actio præscriptis verbis concurrat, quæ subsidiaria est, & extraordinaria, ut perspicue traditur in *L. 1. 2. & 3. ff. de præscript. verb.* & non nisi aliis remediis deficientibus competit. Accedit ratio, quod pacta adjecta sint pars ejus contractus, cui adjiciuntur, per consequens eadem actio competit, quæ ex principali contractu datur. Non obstat *L. 2. Cod. de pact. inter emptor. & venditor.* ubi ex pacto de retrovendendo in continenti contractui venditionis adjecto *actio præscriptis verbis vel ex*

contro-feruade



*venditio datur.* Nam ibi, *sic Perez d. n. 27.* particula ista *vel* est correctoria; quia etiam corrigendi vim alias habere constat, *ex L. 13. §. 2 ff. commodati. L. u. ff. de noxal. acti.* Respondent alii, dubitari quandoque, an vulgari actioni locus sit, atque ideo utramque; hoc est, tam vulgarem, quam præscriptis verbis actionem proponi, ut, si illa fortè non videatur habere locum, hæc saltem habeat. Dubitandi rationem suppeditavit qualitas & conditio ipsius pacti: Cum enim ad dissolutionem initæ venditionis pertineat, non videbatur contractui posse inesse, ac actionem inde descendentem formare *ita Bachovius, Vinnius, Wissenbach.* Porro controvertitur, an pacta in continenti adjecta contractibus non tantum bonæ fidei sed etiam stricti juris insint? prima sententia negat. *ita Zæf. ff. de pact. Perez. in Cod. eod. tit. n. 26. Struv. Syntag. jur. civil. Exercit. 6. th. 28. & alii.* secunda affirmat. *ita Fachin. lib. 2. contror. cap. 94. Hahn. ad Wesenb. de part. n. 9. & alii.* Tertia, eaque valde singularis, separat stipulationem à mutuo, illi pactum adjectum docet inesse: huic non etiam *ita Bachov. ff. de pact. pag. mihi 583.* in hoc conflictu opinionum secunda sententia probat opinionem suam sequentibus argumentis. I. Pactum in continenti adjectum, inest contractui bonæ fidei: ergo etiam contractui stricti juris. Ideo enim inest contractui prioris generis, quia propter cohærentiam, censetur pars contractus, ac per continentiam cum illo quasi confunditur; cum ergo hæc ipsa cohærentia & continentia inveniatur in pacto contractui stricti juris immediate adjecto, non immerito asseritur, & ipsam contractui inesse, ac cum eo commisceri.



misceri. II. per L. 4. §. 3. de pact. & L. 46. ff. de reb. cred. in quibus locis pacta, in continenti adjecta inesse dicuntur stipulationi. III. per L. 27. Cod. de pact. ubi ex stipulatione agi posse dicitur, siue pactum illam præcesserit, siue protinus secutum sit; ergo pactum in continenti adjectum, inest stipulationi. IV. per L. 5. & 6. ff. de eo quod cert. loc. ubi actio formari & arbitraria reddi asseritur, si pecunia eâ lege fuerit credita, ut certo loco solveretur: non formaretur autem actio, neque redderetur arbitraria, si pactum adjectum mutuo non inesset. Pluribus spinosam hanc ac intricatam materiam occasione dict. L. in bonæ fidei. 13. Cod. de pact. ex cathedra explanabit

*Nobilissimus & Clarissimus Dominus*

# JACOBUS EPHRAIM JUMPELT,

natus Niemeckii Saxonum mense April. An. 1694. Patre Dn. M. CHRISTIANO JUMPELT, Pastore olim Apollensdorffienfi deinde Niemeccensi Diacono, matre verò SIDONIA e gente *Fischerianâ*, in Dei cultu indefessa, adhuc, favente supremo Numine, superflite, ab his suis parentibus â tenerâ ætate, ut christianæ religionis præceptis ac bonis actibus maturè institueretur, Scholas frequentare jussus est, in quibus multum profecit, donec non multis abhinc annis, præviâ privatâ informatione Domini *Böttgeri* Coll. IV. Scholæ Wittembergæ florentis, ad Freibergensè Gymnasium promoveretur, ubi per lustrum doctorum virorum Dn. *Joannis Samuelis Beyeri* Coll. IV. & simul Directoris Musices, Dn. *M. Theophili Grabneri*, Coll. III. Dn.



Dn. *Samuelis Hassii*, Con-Rectoris, nec non Dn. *Samuelis Molleri*, Gymnasii Rectoris, quem virum longè meritissimum dicit, tam publicis quàm privatis Lectionibus interfuit. Inde *Wittembergam* se contulit, ibique in numerum civium Academicorum mens. Maj. An. 1717. receptus clarissimorum Doctissimorumque virorum Dn. D. *Brendeli*, nec non Dn. D. *Godofredi Ludovici Mencken* collegia per duos annos frequentavit. Porro anno 1719. Mens. Jun. Lipsiæ nomen matriculæ dedit, & doctissimorum virorum, Dn. D. *Lüderi Menckeni*, Jurid. Facult. Ordinarii, Dn. D. *Schacheri*, Dn. D. *Caroli Ottonis Rechenbergii*, nec non Dn. D. *Abrahami Kästneri*, tam publicas, quàm privatas lectiones Juridicas audivit, nunc receptus in ordinem Advocatorum Dresdensium. Tandem nos accessit, & ad consuetum jurium Candidatorum examen admitti decenter petiit, cui petitioni annuit Facultas juridica & ei Textus ex utroque jure explicandos assignavit, quos doctè adeò resolvit, & ad quæstiones in Examine propositas ita respondit, ut unanimi consensu ad ulteriora admissus sit, cras itaque lectionem cursoriam ad *d. L. in bonæ fidei. 13. Cod. de pactis*. eâque finitâ Disputationem inauguralem *Positiones Miscellaneas ex Jure Cambiali, potissimum Saxonico* sistentem, horis consuets habeat. Quibus actibus solemnibus, ut Magnus Dn. Pro-Rector cæterique Domini Proceres & Cives Academici interesse velint, decenter invitantur. Publicatum sub sigillo Facultatis Juridicæ 23. Maji 1723.

(L. S.)



Erfurt, Diss., 1723

X 2386946









579.  
12

1723, 10

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS,  
O. PHILIPPUS  
Streit / I.V.D.

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS  
MOGUNTINI CONSILIARIUS  
REGIMINIS

L. B. S.

---

ERFORDIÆ,  
TYPIS GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

*controversiæ quibusdam circa pacta*

